

05

A

504









12  
DISPUTATIO METAPHYSICA.  
DE  
UNITATE,

*Quam*  
FAVENTE DIVINO NUMINE

*In Illustri Leucorea*

SUB PRÆSIDIO

VIRI

PRÆCLARISSIMI

DN. M. CHRISTIANI BILEFELD

Lubec. Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Ad-  
juncti meritissimi, Dn. Conterranei, Fautoris, ac  
studiorum suorum promotoris  
ætatem colendi,

*Placide Philosophantium disquisitioni subjicit,*

LUCAS STOLTERFOHT, LUBEC.

A. & R.

In Auditorio Minori

*Ad diem Septembris Horis matutinis.*

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

ANNO M DCLII.



UNITATE

EXAMINATE DI VINO PRIMUM  
SUB PRESIDIO



05 A 504

Typo JOHANNIS REISSNERI Acad. Typogr.  
Jena & Dessau







I. N. J.

## PRÆLOQVIUM.



Culorum, mentisque aciem ad ea, terrarum orbis spectanda nobis quæ exhibet, cum convertimus, ita nonnulla in eo comparata esse deprehendimus, capita præ cæteris, ut quantum lenta solent inter viburna cupressi, extollant, principemq; sibi vindicent locum. Reperiuntur quidem nonnulli ejusmodi farinae homines, alto supercilio ea qui negligunt, algæque viliora ducunt, cum tamen utilius, magisque necessarium illis nil detur. Eandem experiri sortem de unitate doctrinam, quis rerum æquus æstimator negaret? Non jam dicam de contumelijs, quæ ab illis, universam contemptui despiciatuiq; qui ducunt Philosophiam, in eam redundant. Nec pluribus etiam tangam, speciatim quibus mactetur encomijs. Verè in eam cadit tritum illud: *Quo quid præclarior eo majori contemptui abusuq; exponitur.* Haud secus ac arbores altiores fulminis impetus præ humilibus citius sentiunt. Quantam verò cum Philosophiæ, tum Theologiæ præstet usum dignis vix dici potest verbis: sedulam ipsi navantibus operam, quin sint experti, haud est quod quis dubitet. Rectè itaque in res hominum, eam novisse cum conducant, quis particeps ejus ut redere-



deretur, omnem non moveret lapidem. Hæc mecum pensitans, non inconsultum meis fore studijs putavi, hoc instudiorum genere si quid tentarem, mearumque virium facerem periculum. Ast quia:

*Nullius est felix conatus & utilis unquam,*

*Augmentum si non datq; juvatq; Deus.* Operi itaq; ipsi manum antequam injiciamus, supplices ad Deum omnis sapientiæ autorem mittemus preces, nostros hosce quo ratos esse jubeat labores.

12. D. B. V.

THESIS I.

Unitas est affectio entis unita.

§. I. Quàm sint multa Philosophorum monita, de verborum ambiguitatibus evitandis, gnavo philosophiæ cultori ignotum esse non potest. His inquit mens humana confunditur, distrahiturque. His non bene observatis, in offenso pede nemo cum alio sermones sociare disputationemque instituire potest. Distingat itaque philosophus vocabula æquivoca necessum habet, cum τῶν ὀνομάτων ἕκαστον εἶναι γνώριμον, καὶ δηλῶν ἐν τι, καὶ μὴ πολλὰ μόνον δ' ἐν κἄν πλείοι ασημαίνῃ φανερόν ποιεῖν ἐφ' ὃ φέρει τ' ὄνομα τῶν, monente Aristotel. lib. 2. Metaphys. cap. 5. Scientes itaq; ne nos dubitationum errorumq; involvamus labyrinthis, unitatem ulterius, bono cum Deo, in subsequentibus enucleandâ, ab ipsâ ambiguitate, cum sit etiam ex illis, quæ πλεοναχῶς λέγεται, liberemus, nostrarum erit partium.

§ II. Unitas itaque α. datur *prædicamentalis* s. *quantitativa*, quæ radix & principium numeri est: hæc verò hîc loci in considerationem non venit, sed ad quantitatis prædicamentum pertinet. β. *Transcendentis*, quæ omnem in quovis ente in divisionem significat. Dn. Scheibl. Lib 1. Metaph. Cap. 4. Tit. 1. Num. 4, & hæc hunc respicit locum, hîc que consideranda venit.

§. III. Ju-



§. III. Jure etiam hic referimus unitatis distinctionem, in unitatem per se, & unitatem per accidens. Hæc enim divisio, non est generis in species: Ratio est, quia ne analogicum quidem admittunt conceptum, meritò itaque inter nominales distinctiones refertur. Descriptionem unius per accidens quod attinet, est illud, cum plura entia completa uniuntur ad aliquam indivisionem. *Dn. Scheibl: aliter definit lib. 1. Metaphys: cap. 4. Tit. 1. num. 10.* Unum per accidens est, quod implicat plures essentias, ad communem quandam essentiam non redactas. Verùm hæc ipsa descriptio ἀκρίβειαν philosophicam parum sapit: Id ipsum enim insinuat, dari unum per accidens, cum plures essentiæ uniuntur, cujus unionis terminus non est communis essentia. Sed quid ni possent plures essentiæ uniri per intrinsecam κοινωσίαν, beneficio propriè sic dictæ περιχώρησεως omnem prorsus respicientis divisionem, ex illis naturis licet novus non prodeat terminus, sive tertium aliquod compositum, quod communis diceretur essentia. Si enim ignis ferro posset uniri sine dimensionum penetratione, totus toti, per ejusmodi περιχώρησιν, quâ nulla ex parte ignis à ferro divisus, tum utique illud suppositum ex duabus naturis constans esset unum per se, communis hinc licet non prodiret essentia, ex indivisione enim debet natura unius per se æstimari, non verò ex resultante termino: siquidem terminus ille ratione posterior est ipsa indivisione, quæ oritur ex intrinsecâ rei κοινωσίᾳ. Sed missâ hac descriptione, quasdam ponamus conditiones. α. Plura entia completa hic sunt quæ uniuntur: siquidem plura ad omnem requiruntur unionem, eaque hic per se & in se ratione essentiæ completa esse debent. β. unio quæ terminatur in respectu aliquo, non verò prorsus intrinseco, in ipsa enim unione entia adhuc per se divisa manent, licet in omni uno per accidens non eodem modo: Respectus enim ille si esset intrinsecus, in totum exspiraret divisio, oriretur que unum per se. γ. Sunt aliquo modo indivisa, propter illum respectum qui unionem terminat. Fit itaque unum per accidens quando plures lapides uniuntur, quorum unio in mero contactu locali propter aggregationem



terminatur. *Triples* verò juxta *Plurim: Reverend: & Excellent: Dn. D. Calovium* illa unitas est. Datur enim 1. *alia per associationem* conjunctivè, eaq; vel interior, quæ cum aliquà permeatione in uno accidentali per unitatem suppositi locum habet, ut in ferro ignito: vel exterior, quæ perspicitur partim in insitione, partim juncturâ, partim futurâ. *Alia 2. per concretionem* ut cum plura accidentaliter concresecunt, & sic omnia concreta vocantur entia peraccidens. *Dn. Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 4. Tit. 1. num. 12.* Non est necessum, inquit, ens peraccidens distinctis indicari vocibus, sed potest hoc etiam fieri una. ut: Pulchritudo est ens peraccidens, quia componitur ex peculiari relatione, colore & quantitate, eaque nec nimis magnâ, nec nimis parvâ. 3. *Alia per aggregationem*, quæ vel ordinem admittit, ut respubl. ob ordinem imperantium, & parentum, vel respuit, ut acervus lapidum, inter quos nullus ordo.

§. IV. Unum per se ex oppositio est, quod sine complexione plurium entium completorum, divisorumq;, unum indivisum essentialiter absolvit ut Deus, Homo.

§. V. Rejectâ jam unitatis ambiguitate, porro videndum est de ejus descriptione. Dicebamus esse affectionem entis unitam: Ubi primò entis affectiones dari præsupponimus. Nostram hanc sententiam infringere cõantur multi pro affectionum negatione dum acriter pugnant, mordicusq; eam defendunt. Proferunt: Si ens habet affectiones, est compositum ex entitate, & suâ affectione, quòd tamen absurdum, cum ens transcendenter sumptum, sit ens simplex. Deinde affectionum urgent conditionem, ita argumentando. Affectiones realiterâ suis subjectis distinctæ sunt, Hæ non realiter sunt distinctæ. Ergo. Denique 3. Non debent de subjecto prædicari quidditivè. Ast dari entis affectiones inter omnes ferè constat. Circa affectionum enim existentiam non tam dubium est, an dentur, quam controversum, quæ sit earum origo? quomodo de ente probentur. *Pl. Rever. & Excell. Dn. D. Calovius in Metaph. divin. pag. 263.* Objectiones quod attinet. Respond. ad 1. Negando ens propterea fieri compositum, quod habeat affectiones, cum affectiones latè sumptæ compositioni non opponantur.



nantur, cadunt enim & hæ in ipsum Deum, Deus verò purissimus actus, omnisque compositionis expers est. Ad 2. dico, concedendo distingui affectiones realiter à suo subjecto, non tamen statim propterea sequitur, Ergò ens nullas habet affectiones. Concedimus entis affectiones rigorosè dictas affectiones non esse, sed ampliandus est terminus affectionis. Attributa entis, inquit. *Pl. Reverend. & Excell. Dn. D. Scharffius Theor. Transc. Diss. 6. Cap. 1. Tb. 9.* non sunt affectiones in rigore & secundum univocationem sic dictæ, sed κατ' ἀναλογίαν ita dicuntur, quia ad modum affectionum concipiuntur: jam analogia hæc non negat veritatem rei; & *Excell. Dn. D. Calovius in Metaph. divin. pag. 266.* Non est necessum, inquit, ut distinguantur à subjecto, realiter, sufficit si formaliter. Aliud enim sunt affectiones in rigore scientifico, quæ per morem accidentium insunt subjecto, ita ut à subjecto distinguantur realiter. Aliud verò sunt affectiones latius sumptæ, ad quas satis est, ut denominent subjectum, licet non cum reali à subjecto distinctione. Ad tertium respondetur: affectiones de ente non prædicantur quidditative, & Synonymicè, sed paronymicè. Postquam jam vitum dari affectiones, quoque modo hîc loci sumantur, de divisione illarum nonnulla adjiciamus, operæ pretium erit. Induplici autem sunt differentiâ, unitæ aliæ, aliæ disjunctæ vocitantur. Unitæ affectiones sunt quæ simpliciter cum ente recurrunt, illudq; denominant, dico enim omne ens est unum, & omne unum est ens. Disjunctæ sunt, quæ complicatè cum ente recurrunt, illudque disjunctim denominant, ut omne ens est vel necessarium vel contingens. Hic quæritur inter quas hæc nostra sit referenda? Nos dicimus inter simplices & unitas, ut ut alij ab hac nostrâ sententiâ secessum faciunt. Nos nostram probamus sententiam à requisitis unitæ affectionis: Inde argumentamur. Cui competunt omnia requisita affectionis unitæ, illa etiam talis est. Atqui unitati competunt. Ergo. Minor probetur necesse est, quod requisita ipsi competant. Requisita dantur duo: 1. denominatio. 2. simplex convertibilitas: hæc ipsi competunt. Denominat enim ens, ita ut omne ens unum dicatur: Deinde  
etiam



etiam cum ente simpliciter convertitur, ut possim dicere: Omne ens est unum, & omne unum est ens.

THESIS II.

Unum est quid in se indivisum.

§. I. Unitatem entis affectionem esse cum jam constet, discipendum porro, quid propriè unum sit. Ubi duo notatu digna occurrunt. *α. Materiale β. Formale.* Materiale quod attinet, dicimus unitatem ens ipsum implicare, nihilque ab ante diversum dicere, peculiarem saltem conceptibilitatem, ab ipsius entis conceptu distinctam habere. Non enim novam simul insinuo entitatem, ens unum cum dico. Affectiones siquidem nihil positivi enti superaddunt, sed saltem aliter atque aliter modificant, ut refert *Excell. Dn. D. Scharfius Theor. Transc. Disp. 6. cap. 1. axiom. 7.* Est itaque materiale affectionis ipsum ens. Entitas enim ab affectionum conceptu si excluderetur, ne quidem concipi, nedum esse possent affectiones, quod absurdum, cum sint reale quid, nullo verò modo ab ente realiter distinctæ. Excipit verò *Timpl. lib. 2. Metaph. cap 3. Quest. 4.* Negatque ens & unum realiter idem esse. Alias ejus absurdas rationes ut taceamus, illam tantum attingemus. Dicit: Quæcunque differunt inter se definitione essentiali, ea non sunt realiter unum & idem. Atqui unum & Ens differunt inter se definitione essentiali, Ergò. Respond. Definitio essentialis duplici modo sumi potest, vel *latè* pro illâ, quæ id quod revera est, licet in suo formali non sit ens, explicat quo ad esse formale: vel *strictè*, in quantum essentiam entis alicujus revera existentis perfectè per constitutiva declarat. Si in *priori* significatione sumitur, negatur major propositio, si in *posteriori*, minor; tum quia perfecta definitio essentialis de ente dari non potest, tum quia entitas eadem ibi manet; Realiter enim inter se differunt, quo ad distinctionem realem *περὶ τὸς* ita dictam, quæ diversas essentielles definitiones admittunt in posteriori significatione: unius autem & entis formalitatem, à quibus de sumuntur definitiones essentielles in priori significatione, realiter non differunt: unitas siquidem substatu indivisionis, ens verò simpliciter



liter sub ratione essentiae concipitur. Probamus hoc Autoritate Aristotelis *lib. 4. Metaph. cap. 2.* expressè assertentis τὸ ὄν καὶ τὸ ἐν ταυτὸν καὶ μία φύσις. Egregiè ad id respondet Timplerus. Aut enim, inquit, errasse Aristotelem, aut intelligendum ipsius dictum de ente primo & increato Verùm dicimus, verum quidem esse, Aristotelem potuisse errare, homo enim fuit, Ergò humani quid in ipsum cadere potuit, hoc verò in loco errasse ipsum negamus. Errare potius Timplerum dicimus absurdas ejusmodi cum profert responsiones.

§ II. Formale unius in indivisione ponimus, non indivisibilitate, quæ juxta quosdam formale simplicis constituit, ut ut etiam arctissimam aliàs inter se alant familiaritatem: illa cum divisionis actum, tum potentiam negat, hæc non item, cum indivisibilis non tantum, sed & divisibilis detur unitas. Probamus formale hoc 1. ex nostro concipiendi modo, Nos enim perceptà unitatis voce, indivisionem statim mente concipimus: 2. Ex opposito, nempe multitudine, hæc enim juxta se posita, magis elucescunt. Multa dicuntur quæ inter se divisa sunt entitatibus. Ergò vi oppositionis unum erit, quod non est divisum in entitate sua.

§ III. Quæstio hic oritur inter Metaphysicos de hac indivisione, num mera sit negatio, an vero privatio. Variæ variorum hac de quæstione reperiuntur sententiæ: sunt qui privationem, sunt etiam qui negationem vocant. Verùm non esse veram privationem sed saltè impropriè ita dici *Dn Scheiblerus lib. 1. Metaph. cap. 4. Artic. 2. num. 25. statuit* cum inquit, Quod indivisio non sit privatio propriè loquendo, id inde clarum est, quia alias ejus oppositum, hoc est, multitudo, per se & per naturam conveniret enti, indeq; potius ipsa esset affectio entis, quàm unitas. Deinde etiam exinde patet, cum & Deo & Angelis alijsq; immaterialibus competat, in quæ tamè entia, absentia alicujus boni inesse debiti, nequaquam cadit. Nonnulli etiam puram & meram negationem esse negant, quia ad certum subjectum non sit determinata. Ulterius quæri solet de hac negatione quid nam de ente neget? Ubi dicimus negare omnem divisionem actualem, qualicunq; etiam illa fiat modo,



modò, sive per localem distantiam, vel extrinsecam appositionem. Contra verò talem rationem conceptibilem in ente ponit, juxta quam illud intellectui objicitur, sine omni extraneo, indistractè, in confusequè existens.

§. IV. Et licet hæc nostra de formali unitatis sententia, sat firmo nitatur fundamento, non tamen desunt, ab ea in contrariam partem qui abeunt. Tannerus in eo rationem unitatis ponit, quod ens unum non possit esse plures entitates, quale ipsum. Verùm hanc ipsam unitatis rationem stare non posse, ex eo evincitur, quod id unitati per se cum unitate per accidens commune sit, ens enim per accidens nequaquam in plura entia, quale ipsum est, dividi potest. Alij qui à nostra sententia non alieni, sed nobiscum consentire videri volunt, non quidem negant, formale unius in indivisione positum, sed insuper aliud addunt. Dicunt, unitatem, præter indivisionem, simul divisionem à quovis alio, notare. Verùm & hanc unitatis definitionem non invenire locum, probatur. Dicunt diversum ab alio dupliciter dici, vel latè, vel strictè, sive illud aliud existat, sive non. Verum Respond. si latè sumitur illud aliud, & impropriè pro eo quod nondum existit, nihilominus tamen non est de formali unitatis, sed est, & manet ejus consequens. Deinde si strictè sumitur, pro alio actu existente, nego etiam, per accidens enim unitati competit. Exemplo res erit clara: Deus ante mundi creationem ens erat, & unum quid, non vero ab alio divisum. Argumentor itaq; quæcunq; definitio rei formalem rationem nō rectè exprimit; illa est vitiosa: Atqui hæc, quæ formale unitatis in diversum esse ab alio ponit, non rectè exprimit. Ergo. Major suà luce, radiat, Minor è jam dictis constat. Deinde etiam illud sequeretur, quod respectiva fieret affectio, divisio enim illa ab alio insinuat relationem unius ad aliud, cum tamen inter omnes constet, quod absoluta sit: imo sequeretur quod una res posset habere plures formales rationes, quo absurdus nihil.

TH.III.



THESIS III.

Unitas 1. dividitur in indivisam indivisibilem, & indivisam divisibilem. 2. Numeralem, Formalem & Universalem.

§. I. Unitas, cujus formale haecenus consideravimus, varijs gaudet divisionibus. Et quidem 1. dividitur in *indivisam indivisibilem*, & *indivisam divisibilem*. Unitas *indivisa indivisibilis est*, qua ens ita in se indivisum est, ut in plura realiter distincta resolvi nequeat, adeo quæ & actum & potentiam divisionis negat. Hæc iterum duplex est, vel enim est *ἀπλῶς* & simpliciter indivisibilis, vel *κατὰ τι* secundum quid. Unitas simpliciter indivisibilis uni & soli Deo competit: Est enim ille originaliter, & independenter indivisus in essentia sua. Perversè admodum de hac Dei unitate agit *Crellius lib. de attribut. divinis Cap. 17. pag. 111.* Dicitur Deus unus, inquit, quod unus sit numero, & quidem ita, ut plures sui generis, seu tu mavis dicere speciei non habeat, quo pacto unum dicimus solem &c; Sed admodum errat, dum Deum ita unum perhibet, ut solem & Lunam. Hæc enim sunt species monadicæ, quibus multiplicare non repugnat, nil enim obstat, quo minus multiplicarentur, si ita Deo placeret, quod tamè de Deo dicere nefas est, quippe cum sit omnis multiplicabilitatis prorsus expertus. Deus enim nec genus, nec species est quicquid etiã Piscator falsissime dicat *Unitas indivisibilis* secundum quid, competit spiritibus finitis, alijsque entibus simplicibus, & huic non repugnat simpliciter divisio, hæc ipsa enim divisio tolli potest ab extrinseco principio in iis, materiae & formæ expertia quæ sunt. *Unitas indivisa divisibilis est*, quæ ens per plura realiter distincta, in quæ resolvi potest, indivisum existit. Hæc in entibus compositis perspicitur, quæ pro ratione illius status, unionis beneficio indivisa sunt, non verò ratione ortus & principij, hæc indivisa à parte post, divisa à parte ante.

§. II. Deinde dividitur In *Numeralem, Formalem & Universalem*. *Numeralis* à numero nomen sortita est: Est vero nume-



rus duplex *transcendens*, vel *prædicamentalis* s. *quantitativus*: hic ex continui divisione oritur, & est non nisi in quantis. *Transcendens* autem numerus constituitur ex unitatibus transcendentalibus, qui formalis est essentialium, ut docet Pl: Rever: & Excell: Dn: D. Scharffius ex javello Disput: 6. cap. 2. Tb. 41. Non verò hic loci intelligimus numerum prædicamentalem, sed transcendem; solet aliàs singularis dici, quia in entibus singularibus tantum reperitur. *Unitas formalis* est, quæ immediate convenit essentiali in se sumptæ, & cum ab universali, tum singulari præscindit. *Universalis* est, qua ens in se est indivisum, aptam verò habet naturam, ut possit dividi in res plures similes sub eodem nomine, & ratione, & hæc in generibus & speciebus perspicua est.

#### THESIS IV.

Unio est, quæ realiter distinctæ substantiæ per intrinsecam *κοινωνίαν* ad unum aliquod constituendum conjunguntur.

§. I. Unitatis divisibilis, præcedenti thesi quam consideravimus, fundamentum est unio, de ea fusius hac thesi agere, non erit operam ludere. Omnium vero primum felicem hujus si instituere voluerimus considerationem, ab æquivocatione liberemus vocem, non abs re erit. Dupliciter unio sumitur  $\alpha$  pro actu  $\beta$  pro statu. 1. Quod actum attinet, intelligimus actum transitorium, sive ipsam actionem cujus beneficio realiter diversæ substantiæ conjunguntur, atque sic unitatem indivisionemq; sortiuntur, rectius convenientiusq; dicitur unio. 2. statum: Ille est formalis nexus unitorum, per quem res unitatem obtinent, & hic in specie unio dicitur. Non verò hic agimus de actu uniendi, hunc enim fundamenti instar præsupponimus, sed de statu ubi realiter diversa jam dum sunt unita.

§. II. Unio est vel *propria* vel *impropria*. *Ista* per & *proprie* unio salutatur, *hæc* verò per aliquam saltem habitudinem ad illam, & æquivoce, vel minus *proprie* unionis nomine venit.



nit. *Impropria* est, vel *verbalis*, vel *notionalis* vel *habitualis*, vel *realis* sive: *accidentalis* Vide: Pl. Rever. & Excell. Dn. D. Calovium *Metaph. divin. pag. 316.* Nos missâ impropriâ unione, considerabimus veram ac propriam, eamquē hîc definivimus. Tria verò in hac ipsa notanda occurrunt 1. *Materiale.* 2. *Formale.* 3. *Terminus.* 1. *Materiale* sunt res diversæ. Requiritur itaq; substantiæ distantes, non quidem locorum intervallo, sed naturæ diversitate. Exinde respondetur à nostratibus Theologis quando quæritur, num in S.S. Trinitate unio detur? Quod non tam unio, quàm unitas simplicissima in ea detur, rationem ponunt in essentiali Personarum identitate. Non verò res omnes materiales hujus unionis esse possunt, sed quæ habilitatem habent, ut altera se habeat per modum ἐπιτελείας sive actus, ut possit esse principium activum, quod acriet, atq; perficiat: altera per modum δυνάμεως ac materiæ, quæ perfectionis sit capax, in quibus verò capacitas talis non datur, inter ea realis unio non est. 2. *Formale.* Hoc absolvitur intrinseca substantiarum κοινωμία, per quam substantiæ unitæ quo ad nullam partem inter se divisæ atq; exclusæ sunt. Patet exinde formale ejus non in indivisione, quod unitas tantùm sibi vendicet, positum, ut nonnulli volunt. Ratio hæc est: si eundem conceptum formalem admitterent, tùm altera ab altera nequicquam differret, cum tamen earum haud exiguum reperiatur discrimen: Imo unitas unionem præsupponit: unio, unitatem respicit ut causatum 3. *Terminus* dicitur hic ἐνοπιός, & in uno indiviso consistit, nasciturq; ex interna κοινωμία, ad quem unio terminetur.

§. III. Unio hæc vel est *essentialis* vel *suppositalis*. Unio essentialis est, qua plures substantiæ incompletæ, ad unam essentialiam constituendam junguntur. Unio hîc limitationem determinationem accipit. Ad unionem enim per se quoque pertinent substantiæ essentialiter completæ, modo ultima substantia alteri de sit: hæc verò substantias incōpletas postulat: sic anima rationalis, & corpus humanum sunt substantiæ incōpletæ, essentialiterq; uniuntur: Non enim anima completā habet substantiam, sed ex utriusque substantiæ animæ & corporis



poris indivisa copulatione completa oritur subsistentia. Unio suppositalis est, quâ duæ naturæ utrinq; in essendo completæ, altera verò in subsistendo incompleta, per intrinsecam *κοινωνίαν* ad unum suppositale concurrunt, cujus unionis unicum tantum exemplum habemus in Persona Christi. Quæritur hic, num unio hæc suppositalis vera & per se sit unio? In contrariam quis posset ire partem, negativamq; defendere ex hac ratione: quia unio suppositalis non ad unum per se terminatur, sed ad unum per accidens. Verùm respondemus, unum, hoc suppositale non ad unum per accidens pertinere, sed ad unum per se; Unio enim propriè sic dicta versatur tum inter duas substantias quæ se habent, ut actus & potentia, quales substantiæ hic sunt divina natura *ἰδιούση* & humana, propria personalitate destituta; illa hanc ratione termini *ἐνοποιῆσθαι*: tum in concursu communicabili, & permeatione non cessiva, sed immeativa, qualis hic vel maxime locum habet; Interim tamen non negamus aliquam unionem suppositalem ad unum per se non terminari. Photiniani in totum negant hanc unionem, dicuntq; sine *ἀντιθέσει*, seu oppositione fieri non posse. Mens nostra inquit *Volkelius* dicitur fieri non posse, ut duæ formæ substantiales, eæq; perfectæ, in unum idemque suppositum cadant, quia sic non unum suppositum, sed plura supposita essent *lib. 5. de V. R. Cap. XI. pag. 456.* Verùm falsò pronuntiatur, duo supposita fieri, quando plures formæ substantiales cadunt in unum suppositum, falsum *ἀντιθέσιν* accidere eam unionem, extra essentialiter enim uniuntur in supposito: Nec quicquam repugnat naturæ salvo complemento essendi, actu subsistendi destitui, *ὄψεσιν* siquidem complemento essendi ille posterior est; nihil itaque ex ejus absentia periculi, cum sufficiat illi naturæ actum subsistendi ab alio supposito participare.

H.V.



THESIS. V.

Communicatio est, quâ propter unionem id, quod unius est proprium alteri communicatur, sine sui vel multiplicatione, vel transfusione verè tamen.

§. I. Communicatio causam agnoscit unionem: Fieri enim non potest, ut ab ea unione in qua δύναμις & ἐντελέχεια inter substantias unitas datur, proprietatum exsulet communicatio: Pars siquidem unita altera nobilior καθ' αὐτὸ, & per se quod habet, alteri ignobiliori κατὰ συνδύασιν, propter unionem communicat, sitq; illud sine ulla vel multiplicatione, vel transfusione. Non enim multiplicatur anima, corpori se, suasq; operationes quando communicat, sed una eademque numero anima manet. Absurda proisus Calvinianis hæc nostra de priorum communicatione videtur assertio: in totum itaque hanc negant. Dicunt proprium unius, non potest esse proprium alterius. *Keckermannus in system: log: lib: 1. c. 21. Sic scribit. Omne proprium unius speciei, est incommunicabile alteri realiter diversæ. Axioma hoc, inquit, est logicum pæne tam manifestum naturæ, ut illud bis quatuor esse octo, adeoque à nemine philosophorum, ne ijs quidem, qui ad multa paradoxa proni fuerunt usque ad nostra tempora negatum.* Sic socius ejus *Timplerus lib. 3. Metaphys. cap. 3. Quest. 13. pag. m. 345.* manifestam, inquit, implicat contradictionem, statuere aliquid esse proprium & tamen alij communicari: Ulterius, Omne quod communicatur commune est, quod autem commune est, id non est proprium: Ergo qui asserit communicari proprium, is proprium dicit non esse proprium. Verum frustra Calviniani, Keckermannus, Timplerus, Goclenius & alij canonem hunc communicationi idiomatum opponunt: Non enim priorum communicationem infringit, sed id vult, ut unum non sit duorum proprium. E. g. Risibilitas est proprium hominis, hæc tantum competit speciei humanæ, non alij. Negat itaq; unius naturæ proprium

um



um unquam fieri posse alterius proprium, non verò quod fieri possit, ut proprium, uni πρώτως quod convenit, alteri communicetur, ut & ipsi δευτέρως conveniat. Nostram sententiam probamus primo autoritate Philosophorum Principis Aristotelis hic enim expresse libro 2. de partibus animalium cap. 21. inquit. Quædam sunt calida per se, quædam non per se, sed per συνδύασιν, sive unionem: jam per se calida quæ dicit, ratione suæ essentiæ caliditatem istam habent, quæ verò per συνδύασιν, sive unionem, illa non per essentiæ, sed communicationem. E g. Ignis naturâ calorem habet, hunc communicat ferro, sine multiplicatione, vel confusione, ut perperam contendit Timplerus lib. 3. Metaph. cap. 3. Quest. 13, ita ut ignis habeat calorem πρώτως, & essentialiter, Ferrum δευτέρως, & κατὰ συνδύασιν. Non hic multiplicatur ignis; calor enim ignis non egreditur ex igne, & ingreditur ferrum, sed ferrum per communicationem idiomaticum est calidum eo calore quo ignis est calidus; manet itaque illud proprium proprium sui primi subjecti ignis scil: & non obstante communicatione idiomaticum, distinguit subjectum suum ab aliis rebus: nequicquam itaq; communicatio, qua talis tollit proprietatē, ut vult Timplerus. Rationes quod attinet, probamus iisdem, falsum esse, nullum proprium esse communicabile. 1. Propria generis communicantur speciei, & speciei individuis: sic generis sc: animalis proprium est sentire, hoc communicatur speciei: speciei humanæ proprium est ridere, hoc communicatur individuo, Petro. Jam sentire proprium manet animalis, πρώτως enim animal sentit, homo δευτέρως. Ridere proprium manet hominis, homo enim πρώτως ridet, Petrus δευτέρως. 2. Accidentis propria communicantur subjecto: accidens enim, quemadmodum revera afficit, & realiter denominat suum subjectum, ita etiam eidem sua propria communicat, sic quantum est divisibile, jam corpus propter quantitatem quam habet, etiam fit divisibile: sic propter humiditatem aqua redditur humida, & cum humiditatis proprium sit humectare, verè ac realiter id ipsum quoq; competit aquæ. 3. Partis propria communicantur toti: sic intellectus, voluntas, libertas, doctrina, sapientia, fortitudo, quæ



















05 A 504

ULB Halle 3  
004 207 939




VDTZ











12

DISPUTATIO METAPHYSICA.  
<sup>DE</sup>  
UNITATE,  
*Quam*  
FAVENTE DIVINO NUMINE  
*In Illustri Leucorea*  
SUB PRÆSIDIO  
*VIRI*  
PRÆCLARISSIMI  
DN. M. CHRISTIANI BILEFELD  
Lubec. Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Ad-  
juncti meritissimi, Dn. Conterranei, Fautoris, ac  
studiorum suorum promotoris  
ætatem colendi,  
*Placida Philosophantium disquisitioni subjicit,*  
LUCAS STOLTERFOHT, LUBEC.  
A. & R.  
In Auditorio Minori  
*Ad diem Septembris Horis matutinis.*

---

WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.  
ANNO M DCLII.